

Band VI., Nr. 1797, Seite 187-188

Abt und Konvent von Lorch begeben sich aller Ansprüche an den Reichsschenken Walther von Limpurg wegen der ihnen von ihm und seinem Vater zugefügten Beschädigungen gegen Abtretung seines Hofes in Reichenbach mit dem nahen Walde, sowie unter Feststellung der vogteilichen Nutzungen desselben aus dem Kloster.

Comburg, 1265. März 11.

Universis hanc paginam inspecturis abbas totusque conventus ecclesie Lauricensis in omnium salvatore salutem. Nimia vexacione prestante intellectum hominum adinvenit industria et in consuetudinem iam perduxit, rite gesta, ne curriculo temporum in irritum ducantur, scriptis et testibus perhennari. Hinc est, quod nos per presentes apud presentium volumus remanere memoriam et ad futurorum noticiam pervenire, quod dominus Waltherus de Limpurg imperialis aule pincerna spiritu ductus consilii sanioris nobis exhibuit liberaliter et sufficienter pro omnibus gravaminibus, dampnis et iniuriis qualitercumque ab eo vel patre suo seu quacumque occasione illatis satisfacere secundum iuris rigorem aut nostri beneplaciti voluntatem. Nos vero dignum reputantes, ut apud nos sua devocio et honestas potius gratiam quam severitatem inveniret, ei singuli et universi unanimi et deliberato consensu remisimus pure et simpliciter omne gravamen, dampnum et iniuriam quocumque modo ab eo aut a patre suo aut eorum occasione perpessis, tali videlicet condicione interposita, ut nobis et ecclesie nostre curiam in Richenbach¹ cum nemore vicino et omnibus attinenciis in continenti relinquat perpetuis usibus profuturam omni suo iure in eisdem bonis pro se et omnibus heredibus suis habitis et habendis renuntians libere et absolute. Advocatie etiam, quam habet ab ecclesia, nullum questum habebit, nisi secundum antiquum ius, ubi sibi hoc ostendere poterimus evidenter, sed ubi liquido illud ius non patebit, contentus erit illa utilitatis perceptione, quam nos et homines in eadem advocatia residentes sibi secundum deum decreverimus ordinare, hoc tamen salvo, quod pro furto et contumacia tertia pars sibi cedit. Ceterum homines alios in advocatia sua non residentes ecclesie simpliciter remittet a iugo sui domini et servicii absolutos. Nos igitur super omnibus premissis contra ipsum ac suos heredes renunciamus omni iuris canonici et civilis auxilio et beneficio, doli, in factum, restitutionis in integrum, seu qualibet iudulgentia iam impetrata vel in posterum impetranda. Ut autem hec veritatis firmitudine roborentur

¹Im 19. Jahrhundert Reichenbach, dann die 1913 abgebrochene Reichenbacher Sägmühle.

II

et a nemine valeant infirmari, sigillorum domini nostri abbatis, cum aliud non habeamus, pro conventu et domini Waltheri pincerne prefati presentem cartam munimine roboramus.

Acta sunt hec in monte Kamberc, presentibus domino abbate, Rv̄degero priore, Wilnhelmo capellano, fratre Cvonrado de Rihtelbach² gardiano domus Hallensis, fratre Cvonrado de Velleberc, Cvonrado de Rosseriet, Syfrido Kimin fratre eius, militibus, anno domini M^o. CC^o. LXV.^o, indictione VIII., in vigilia Gregorii feliciter. Amen.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Nur noch das Siegel des Schenken Walther vom Limpurg, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 1623 (WUB, Bd. VI, S. 16); von der Umschrift: + . S . W erhalten.

²Riegelbach, Kreßberg, SHA, vgl. OAB Crailsheim, S. 367.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 499 U 573

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Comburg

Ortsindex:

Comburg Wohnplatz (3320)

Comburg, Schwäbisch Hall, SHA

Kloster Lorch Wohnplatz (4658)

Kloster Lorch, Lorch, AA

Reichenbacher Sägmühle Wüstung (22652)

Reichenbacher Sägmühle, Ruppertshofen, AA, W

Riegelbach Wohnplatz (3523)

Riegelbach, Kreßberg, SHA

Rossach Wohnplatz (2657)

Rossach, Schöntal, KÜN

Schwäbisch Hall SHA

Schwäbisch Hall Gemeinde (3313)

Vellberg Wohnplatz (3467)

Vellberg, SHA